

Nikolaus Jakob Märck

**Programma De Usu Artis Rhetoricæ Cum Præceptis Perpetim Conjungendo, Quo
Ad Audienda Benevole, Quæ De Gemitu Columbae Meclenburgicae Meditatus ...
Ad Diem [] Novembris Hora VIII Matutina Dicere Instituit ... Ad Musas Cathedrales
Suerinenses Invitat**

Suerini: Typis Wilhelmi[i] Bærensprungi[i], [1725?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1836532016>

Druck Freier  Zugang




*Gymnasium Fridericianum
zu Schwerin.*

Programm. 1725.

Mkl h

1800

1725



entsäuert

Abb. h.

1800

(1725)

1725.

Q. B. V.
PROGRAMMA
DE

USU ARTIS RHETORICÆ CUM PRÆCE-
PTIS PERPETIM CONJUNGENDO,

QUO AD
AUDIENDA BENEVOLE,
QUÆ DE

GEMITU COLUMBAE
MECLENBURGICAE

MEDITATUS
DISCIPULORUM HACTENUS NOSTRORUM
OPTIMÆ SPEI JUVENIS
INFRA NOMINATUS

IN ACADEMIAM PATRIAM ABIRE PARANS,
SCHOLASTICIS MUSIS PUBLICÈ VALEDICTURUS.
AD DIEM XII NOVEMBRIS HORA VIII MATUTINA
DICERE INSTITUIT,

MÆCENATES, PATRONOS AC FAUTORES
LITERARUM SCHOLÆQUE SINGULOS
O, O. HONORATISSIMOS

EO, QUO QUEMQUE DECET
OBSERVANTIÆ, STUDII, OFFICII CULTU,
AD MUSAS CATHEDRALES SUERINENSES
INVITAT

M. NICOLAUS JACOBUS MÆRCK.
LYCÆI CATHEDRALIS RECTOR.

SUERINI

Typis WILHELMI BÆRENSPRUNGI Sereniss. Princ. Typogr.



Multos semper antiqua pariter & recentior ætas genuit viros famâ eloquentiæ suo merito insignes, qui modò præceptis Rhetoricis præivere, modò exemplis nunc suis, nunc aliorum ex antiquis æque ac recentioribus scriptoribus collectis præcepta Rhetorica expresserunt, modò & sua deinde *Klassik* examinarunt illustraruntve, ut singula, quæ ad orationem vel componendam vel ornandam faciunt, satis sint exposita, & artis cupidus, sive sermonis numeri; spectet puritatem sive periodorum concinnitatē sive deniq; omne dicendi artificium, habeat, quod & admiretur & imitetur. Quorum catalogos obtulerunt. J. Ravinius *Tensor Offic.* G. J. Vossius *Lib. de Natura Rhetorica*, Morhofius *Polybibl. Literar. T. I. Lib. VI. Capl. seqq.* ut alios multos taceamus. Horum igitur molimina ob oculos ponenda, hæc terenda & volvenda diurna nocturnaque manu, hæc rimanda, quæ imitemur.

Equidem non commendanda est ridicula illa ac deformis imitatio, qua nonnulli simias performant magis, quam homines, quosque punit Ennii illud:

Simia quàm similis turpissima bestia nobis.

Verum loquimur de nativâ quadam imitatione, qualis liberorum est, qui parentes referunt; unde Hesiodum, Theocritum aliosque sequutus Poëta Venusinus *Lib. 4. Od. 4.* ait:

Laudantur simili prole puerpera.

Quem imitandi modum tuetur & Seneca *Epist. 84.* *Similem*, inquit, esse se volo, quomodo filium, non quomodo imaginem. Quemadmodum enim & Apelles pictorumque alii, in sua quisque arte egregii, priores sequebantur, satis contenti, si quid addere possent magistrorum inventis; ita & non deformi quadam imitatione æmulum alterius esse decet, sed sua cuique indoles sequenda: inculcanda tamen, legenda & sectanda, quæ alii præstiterunt egregia, ut admiratione & imitatione eorum

eorum, quos orbis stupet, non deiciantur mentes, sed inflamentur ad virtutem & gloriam.

Quinam verò autores in hac ampla multitudinæ præ ceteris sint eligendi, alii hanc, alii illam incedendam suadent viam; aliis antiquiora, aliis recentiora placent: suum quippe cuiq; pulchrum. Nos in juventute instituenda ejusmodi compendia seligenda ducimus, quæ ad usum exercitationemque faciliora proponunt media; quo fine neglecto, omnis conatus irritus, omnis opera frustranea erit. Interim nec novitatis quidam pruritus approbandus, nec tamen recentiora, si meliora, sunt negligenda & reiicienda. Non immerito igitur nostrum facimus illud Taciti *Annal. L. I. G. 55 Non omnia apud præcos meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis et artium posteris relinquit.* Et illud Oweni *L. 3. Epigr. 76.*

*Stulta hæc invidia est, cui cuncta recentia sordens,
Invida stultitia est, cui nova sola placent.*

Aliis ad gustum, quem dicimus, sæculi elegantioris nimium compositis non Germanica, non Latina, sed vel Anglica, vel alia extera, vel potissimum Gallica placent. Verum, ut dicam, quod res est, habent, uti nostra ita & extera, quæ vulgaris & quæ egregia sunt; vulgaris, quæ non nisi ob solum linguæ fucum vulgi applausum sortiuntur, relinquamus vulgo; quæ verò suam præstantiam probant, cum nostris jungamus. Et prouti in ceteris, ita & quæ ad eloquentiam facere possunt, non omnia Gallorum coecâ quadam vecordiâ, id quod homuncionum aliquod genus vel hebetatum vel fascinatum facere assolet, statim sunt eligenda, nedum præferenda; sed quæ a præstantissimis Galliæ autoribus condita nostrorum eruditorum commendationem merentur. Sic, quisquiliis Gallorum vulgo relictis, non quidem Compendia illorum fundamenti loco nostris commendamus, selectu tamen provida cura habito, quæ illorum egregia ad eloquentiam parandam ornandamque facere possunt, cum nostris
conjun-

conjungenda provectoribus esse haud abnuimus. In quorum
censum suo quodam jure referri possunt Renati Rapini *Reflexions sur*
l' eloquence; Anonymi *l' art de parler et de persuader*; Renati Bary *la Rhetorique*
Francois inque aliis Dominici Bouhourfii libellis huc facientibus
la maniere de bien penser dans les ouvrages de l' esprit & Pensées ingenieuses.
Quibus pro cuiusvis fine ac scopo & alii jungi possunt.

Ingens autem ille tot celebrium cujusvis ordinis statusque viro-
rum conspirans & quasi conflatus ardor, eloquentiam vel præceptis
vel exemplis commendandi, jam satis per se ipse necessitatem tractan-
di Oratoriam evincit; ejus igitur necessitatem tam Expedientiæ,
prouti aliàs distinguunt, quam Exigentæ pluribus demonstrare,
jam non vacat, nec id hujus loci esse duxerim; cum experiamur fa-
cile omnes, necessariam esse artem dicendi in omni genere vitæ tam
in foro, quam in choro. Dicendum quippe scribendumque est o-
mnium ordinum statuumque hominibus: Nihil ergo unquam prius
nihil antiquius esse debet, quam à pueris omnem institutionem eò
dirigere, ut suas quisque partes in commodum ecclesiæ rei que publi-
cæ exsequi aliquando valeat.

Dubium Fortean hic moventibus, multos esse, quorum animi
præceptis Rhetoricis minus imbuti, munus tamen suum dicendo
& scribendo feliciter satis exsequantur, respondemus: hi vel expe-
rientia magistra diuturno rerum usu longaque exercitatione, vel ali-
quando etiam indulgentiori natura ac indole, quæ tamen non omni-
bus concessa, suppleant, quod arti deest. Magis tamen è re illorum
fuisse persuasi sumus, si ars & exercitatio juvenilis accessisset.
Præcepta enim viam parant & monstrant; exercitatio juvenilis
omnia applicans & in usum suum convertens, ætati adultiori ac vi-
rili otium facit aliis rebus tribuendum; naturam quoque doctrina
sublevare debet. Id, quod infra ulterius demonstratum dabimus.

Objiciat verò alius: ex scholis non prodeunt oratores, Largi-
mur

mur hoc lubentes, si sermo fuerit de iis, qui summum in arte dicendi fastigium attigisse sibi visi sunt. Et sic nec Theologi, nec Philologi, nec Philosophi, nec Historici aut cujuslibet politiciorū literaturæ firmis præsiidiis instructi ex scholis prodire possunt, juventute scilicet ne ullius quidem rei perfectionem capiente. Si verò exinde institutio scholastica esset vel omittenda vel negligenda, frustraneo sane ausu hæc talia scholarum doctoribus essent præscripta, & vel nullā prorsus re cupidi juvenum animi essent tingendi, omniumque scientiarum fundamenta, una cum consummata earum perfectione, adultiori ætati relinquenda. Nonne verò hæc ipsa prona esset via, qua barbariei reservaretur, nonne hoc ipsum medium, quo obbrutesceret juvenus? Fundamenta igitur in juventute sunt jacienda: quibus ritè jactis postea eò facilius, uti Theologi, Philologi, Philosophi, Politici, ita et Oratores evadere aliquando possunt.

At, inquires, nascuntur, non fiunt, uti Poætæ, ita & Oratores. Donum Dei est eloquentia, quod piè fatemur, non omnibus concessum, *Prov. 16. 1.* negatum cum Mose, qui impeditæ fuit linguæ, & multis aliis. Unde nec oratoriam, uti nec ullum aliud studium aggredi, nedum assequi licet invitâ, quod dicunt, Minervâ. Quamvis autem natura implantari non queat, excoli tamen per doctrinam potest; nec enim doctrinam natura respuit, sed naturam doctrina præsupponit. Id, quod & romanæ facundia linguæ, Tullius noster, pro Archia largitur, non immerito dicens: *idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accerserit ratio quadam confirmatione doctrinæ, tum illud, nescio quid, præclarum ac singulare solere existere.* Namque id, quod natura incipit, ars dein dirigit, tandemque perficit usus, quippe qui solus facit artifices.

Est verò usus exercitatio illa, quæ artis præcepta consequitur, quaque dicendi firma quædam facilitas comparatur. Unde Fabius latine reddens, quod Græci *ἔργον* vocant, nosque vulgò *Habitus* dicimus

cimus: Hæc, inquit, eloquendi præcepta prout cognitioni sunt necessaria, ita non
satis ad vim dicendi valent; nisi illi firma quedam facilitas, quæ apud Græcos
ἔγξις nominatur, accesserit. Quam & optimam ac facillimam efficiendi
aliquid rationem vocat, paulò post addens: Eum, qui res invenire et dispo-
nere sciat, verba quoque et eligendi et collocandi rationem perceperit, instruamus,
quæ ratione, quæ didicit, facere quam optime et quam facillime possit. Quam
exercitationem styli, quemque usum & noster Cicero pro Rabirio
vocat Magistrum optimum. Quare id sane pro explorato habemus, in-
numera præcepta non sufficere, nec rem conficere; frequenti au-
tem exercitio opus esse: Usus quippe & exercitatio semper Præceptis
Rhetoricis debent conjungi. Sive enim Rhetorica definiatur, quæ
Celebratissimi Philosophi æque ac Theologi Rostochiensis, Dn. D.
Æpini, Præceptoris nostri sempiterna observantia colendi, est senten-
tia, per Scientiam Effectivam, quæ non in nuda objecti sui contem-
platione consistit, sed aliquid efficiendum præscribit, sive quovis alio
modo Genus ejus constituatur, nisi discens præcepta proposita in
effectum & praxin adducat, quamvis vel sexcenta præceptorum
Rhetoricorum volumina sive audiendo sive ediscendo etiam versa-
verit, frustraneam egerit operam. Usu autem cum præceptis
semper conjuncto, ita nimirum, ut eloquentiæ cultores suum sem-
per agant in inveniando & disponendo æque ac eloquendo, ipsi tum
sibi consulere discunt, cum vulgo sine docente nihil præstare valeant,
& à pedibus ejus remoti hunc solum Rhetorices usum reportent, se
audivisse oblivioni futuræ tradenda, cum ipsimet nihil efficere, nihil
imitari didicerint.

Sint igitur nobis Præcepta semper in deliciis, ad quorum ductum
nos componamus; obversentur oculis nostris exempla eminentium
eloquentia virorum, quorum vestigiis insistamus; vigeat tamen &
usus, quo egregia & præcepta & exempla pro suo quisque modulo
exprimat, donec magistrorum optimorum molimina vel exæquare
vel

vel superare contingat in summi Numinis gloriam hominumque salutem temporalem & æternam!

Hac etiam incedentes via, quæ usum & exercitationem cum præceptis perpetim conjungit, juventutem fidei nostræ commissam ducere nobis præscripsimus, &, quæ Dei clementissimi gratia est, fructus, quales quales in juvenilem ætatem cadunt, non contemnendos jamjam conspiciere licuit. Prodibit in exemplum, operæ novatæ specimen exhibiturus, è cœtu hocce nostro Optimæ spei Juvenis.

CHRISTOPHORUS HEINRICUS WESTPHAL,

Viri Pl. Reverendi, Doctissimi **GEORGII WESTPHALII**, Pastoris ad Cathedralē Sverinensē dudum meritisimi, socii nostri debito filialis observantiæ pietatisque cultu prosequendi, haud degener filius; qui in Academiam patriam Rostochiensē abire parans Musis nostris publice valedicturus, Thema suo, quod dicitur, Marte & quoad inventionem & quoad reliqua meditatus

DE GMITU COLUMBÆ MECLENBURGICÆ


persequi ac recitare animum induxit suum. Huic operæ navandæ eum dicatus sit Dies 12. Novembr. **MÆCENATES PATRONOS, SCHOLÆ FAUTORES ac STUDIOSOS** Literarum, O. O. **HONORATISSIMOS** eā, qua quemque decet, observantiæ honorisque cultui obnixè rogatos velim, ad dictum diem Hora circiter VIII. Lycæum nostrum sua præsentia spectabili atque honorifica ornare & frequentes adesse haud graventur, Quo ipso favoris in literulas nostras testimonio perhibito, propensæ in nos voluntatis certiores redditi, hoc honoris, benevolentis, amorisque genus nunquam non de prædicaturi profitebimur devincti singulis atque obstricti.


Dabam Suerini, A: M DCC XXV. Pridiè Calendarum Novembris.



LBMV Schwerin 33
000 691 232







rioribus esse haud abnuimus. In quorum
ture referri possunt Renati Rapini *Reflexions sur*
l'art de parler et de persuader; Renati Bary *la Rhé-*
torique Dominici Bouhoursii libellis huc facientibus
er dans les ouvrages de l'esprit & Pensées ingénieuses.
ine ac scopo & alii jungi possunt.

ot celebrium cujusvis ordinis statusque viro-
si conflatus ardor, eloquentiam vel præceptis
dandi, jam satis per se ipse necessitatem tractan-

ejus igitur necessitatem tam Expedientiæ,
nt, quam Exigentia pluribus demonstrare,
hujus loci esse duxerim; cum experiamur fa-
n esse artem dicendi in omni genere vitæ tam
o. Dicendum quippe scribendumque est o-
umque hominibus: Nihil ergo unquam prius
ebet, quam à pueris omnem institutionem eò
e partes in commodum ecclesiæ rei que publicæ
valeat.

ic moventibus, multos esse, quorum animi
minus imbuti, munus tamen suum dicendo
atis exsequantur, respondemus: hi vel expe-
no rerum usu longa que exercitatione, vel ali-
tiori natura ac indole, quæ tamen non omni-
t, quod arti deest. Magis tamen è re illorum
, si ars & exercitatio juvenilis accessisset.
parant & monstrant; exercitatio juvenilis
usum suum convertens, ætati adultiori ac vi-
bus tribuendum; naturam quoque doctrina
od infra ulterius demonstratum dabimus.

: ex scholis non prodeunt oratores. Largi-
mur